

Inceptis faueat nostris Fabricator Olympi.

DISSERTATIO PHILO-
SOPHICA, THEOREMATA
NONNULLA EX DIVERSIS DISCI-
PLINIS DESUMPTA EXHIBENS.

QUAM

*Cum consensu & suffragio Venerandæ ac amplissimæ Fa-
cultatis Philosophicæ in Regia Academiâ Aboensî,*

SUB PRÆSIDIO

Pl. Reverendi ac Præclarissimi VIRI:

M. PETRI ANDRÆ BERGII
Linguarum Ebrææ & Græcæ Professoris Publici,
Præceptoris & Hospitis sui ætatem
devenerandi,

*Pro gradu in Philosophia, ejusq; Privilegijs consequendis ad
Publicum examen defert*

JOHANNES G. SALMENIUS Kexholmiâ
Carelius R. M. benef.

Ad diem 25. Junij Anni MDCLXVII. horis lociq; consuetis.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO Acad. Typ.

Inaugural Lecture delivered at the University of Cambridge

DISSERTATIO

DE THEORIA
MOMENTALI DIVISIONE
SIVE ELEMENTI

QUA

Quaestio I. de...
Quaestio II. de...
Quaestio III. de...

AVTETRI ANDREAE REBERGII

Professoris Publici
in Philosophia
et Historia

in Collegio...
Lecturae...

IOHANNES G. SALMENSIS
Cancellarius R. M. bene

Amstelredamum, apud J. W. Neaulx, Typographum

1774

Var. A



Admodum Reverendo & Excellentissimo VIRO,
DN. ABRAHAMO THAUVONIO
S.S. Theol. Doctori Eximio; hactenus ejusdem
in Reg. Acad. Aboensi Professore celeberrimo,
Consist. utriusq; Assessori Pastoriq; in S. Maria vi-
gilantissimo; nunc v. dioceseos Narvensis Super-
intendenti longè dignissimo, Consistorijq; ibidem Præsidi
gravissimo:

U T E T

Plurimum Reverendo & Clarissimo VIRO
DN. M. ERICO ALBOGIO, Pastori in *Jwan-*
gorod fideliss. Consistorij Seniori venerando:

Ceterisq; Reverendis & Clarissimis VIRIS
Dnn. ibidem CONSISTORIAEIBUS attentissimè:

N E C N O N

Reverendis, Praestantissimis & Humaniss. VIRIS;
DN. JUSTO ALBOGIO Pastori in *Rosemlina*
meritissimo, Philosophiæ Candidato dignissimo:

DN. SIGFRIDO KOSTIANO, Pastori in *To-*
xua impigerrimo:

DN. ARVIDO THOMÆ Pastori in *Tyro* per-
vigili:

*Isti, ut Patrono magno; illis ut Promotoribus
propensissimis; his ut Fautoribus opti-
mis, disputationem hanc gradualem of-
fert dicatq;*

Johannes G. Salmenius.



Multa & egregia humano generi Deus Ter Opt. Max. omnium bonorum perfectorumq; donorum largitor contulit beneficia, quorum non postremum est Philosophia, quæ teste Cicrone l. 1. & 5. *Tusc. Dux vitæ, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum morumq; Magistra suis cultoribus supera, infera, prima, ultima ac media demonstrat.* Cujus inducti amore Ebræi, Chaldæi, Persarum Magi, græcorum σοφοί; Italarumq; Philosophi magnos facere sumptus, insomnes agere noctes, variasq; nonnulli eorum lustrare regiones non detrectârunt, ut ex intellectu ἀγροίας, ex voluntate ἀραξίας depellerent. No. stro quoq; seculo suis non destituitur Philosophia alumnis, sed apud cultiora ingenia, quibus admirabilis hujus Theatri universi contemplatio, virtutum morumq; elegantia cordi sunt, frequens nacta est domicilium, idq; partim ob excellentiam obiecti, quâ pollet amplissimâ, partim ob usum in cæteris facultatibus dextrè excolendis maximum. Intervit namq; S.S. Theologiæ, explicando quæstiones mixtas, terminosq; ex agro philosophico desumptos, red-

dens ingenium Theologi in confutandis adver-
 sariorum argumentis acutum ac expeditum.
 Mirro hac vice usum ejus in Jurisprudencia. Præ-
 tereo etiam brevitati studens utilitatem illius
 in Medicina. Cum igitur tanta sit Philosophiæ
 utilitas, tanta quoq; præstantia, non me in cas-
 sum laborare existimo, si ad mandatum vene-
 randæ Facultatis Philosophicæ nonnullos ex a-
 moenissimo illius viridario flosculos decerpam,
 Humanitatem igitur placidamq; benevoli Le-
 ctoris censuram expeto, ut, quod virium fa-
 cultati nimiam temporis angustiam retardatæ de-
 fuerit, sincero favore suppleatur & candido
 iudicio explicetur. Ut autem meum hoc fe-
 licius absolvam inceptum, misericors Deus,
 fons & origo sapientiæ, da mihi sapientiam se-
 dianam tuarum assistentem, mitte eam cœlitus è
 throno majestatis tuæ, mitte eam ut mecum
 sit & mecum laboret, sciamq; quid acceptum
 sit coram te, atq; ea proferam quæ Numini
 tuo non displiceant.

THEOREMA LOGICUM.

Propria à suo subjecto separari nequeunt.

UT melius hujus Theorematis veritas animo veri cu-
 pido innotescat, notandum, quale *proprium*, & quæ
separatio hic loci intelliguntur. *Proprium* modi vulgò

recensentur *quatuor*. 1. Cum aliquid convenit τὸ μόνον, sed non τὸ παντί, 2. τὸ παντί sed non τὸ μόνον, 3. τὸ μόνον καὶ τὸ παντί; sed non ἀεί, 4. τὸ μόνον καὶ τὸ παντί καὶ ἀεί. Ultimus modus huc pertinet nostræq; considerationis est. *Separatio* alia est *mentalis*, quæ aliàs abstractio dicitur; alia *realis*, quâ illa re ipsâ separantur, quæ inter se sunt conjuncta, quomodo cortex separatur ab arbore. De hac nobis sermo est. Consideratur præterea proprium hic in actû primo non secundo, quippè cum multi homines quavis potentia ridendi gaudeant, rarissimè tamen rideant. Excluditur quoq; hinc proprium metaphoricè sumptum, ut rabulis tribuitur latratus, qui propriè canibus competit. Confirmatur autem hoc Theorema sequentibus rationum momentis: *Propria fluunt ex ipsa rei essentia, cum subjecto suo reciprocantur & sunt cum eo simul tempore & generatione, ideoq; naturaliter separari nequeunt, quin & ipsum subjectum destruantur.* Hinc *Aristoteles* dicit 1. *Phys.* c. 4. τὰ πάθη ἀχώριστα. Item *Theod. Dial.* 3. proprietatum delerio, naturæ negatio est.

THEOREMA PHYSICUM.

Aër non est elementum humidissimum.

Magirus & nonnullos alios falsa humidi definitio ad statuendum aërem esse elementum humidissimum traxit. Verum si omnia illa corpora essent humida, quæ proprio difficulter termino, alieno vero facili terminantur, tum & ignis esset humidus. Quod si cui in mentem venerit, manum admoveat suam igni, & procul dubio ignem non humidum, sed *secum*,

imò siccissimum esse animadvertet, majorem humiditatem in aqua quam in aëre reperiri, licet plurimis interdum repleto vaporibus, ipsa clamitat experientia. Sed ad refutandam hanc ab ipsa experientiâ suppeditatam rationem insurgunt nonnulli, comminiscientes aërem propter tenuitatem suam humectare non posse. Quos Clarissimus Dn. *Wendelinus* satis masculè debellat *Contempl. Phys. Sect. 1. part. 1. c. 11. Est hoc (inquit) aliquid dicere & tamen est nihil dicere: Ecquo, quaso, alio indicio de summa aëris humiditate fidem nobis facient, quam summa humectationis? Nonne eodem argumento calida frigida, & humida sicca nobis esse persuadebant, si è proprijs operationibus non aestimanda fuerint qualitates, si sensuum judicio non standum? hæc & similia ille. Tempore æstivo magna in aëre siccitas est exultatq; humiditas, quæ si proprium esset aëris, à subjecto suo non separaretur, ut in superiori Theoremate probatum est.*

THEOREMA ETHICUM.

Fortitudo est virtus moralis seu probitas, quæ adversa & ardua magno animo aggredimur & decenter sustinemus.

Fortitudo, quæ à verbo fero descendit, accipitur
 1. *latissimè pro omnibus virtutibus, ut videre est apud Piccol. gr. 4. c. 21. in fine.* 2. *Pro quovis periculorum constantia, & sic audacia quoq; fortitudinis nomen sortitu.* 3. *Pro corporis vigore.* 4. *Pro virtute morali à cæteris virtutibus distinctâ, quæ acceptio huc quadrat. L. 0 generis ponitur virtus, fortitudini enim accom-*

accommodari potest virtutis definitio. *Differentia de-*
sumpta est à Materia & officio viri fortis: Materia ex
qua fortitudinis, sicut & ceterarum virtutum proprie
loquendo non datur. Materia circa quam seu Obje-
ctum est duplex, internum vel externum: illud consti-
tuunt metus & confidentia. Veniant autem obje-
cti interni nomine, quia hominem intrinsecus per-
moyent. hoc est duplex, Generale vel Speciale. Ge-
nerale est primum vel secundarium: illud sunt terribi-
lia. Dicitur autem primum, quoniam fortitudi-
nis vis in his maximè elucescit. Non tamen hinc
sequitur quævis terribilia hic locum habere, quæ-
dam enim φοβερά υπέρ ανθρωπων sunt, quæ si quis
aggreditur, impos mentis esse censetur, ut sunt e. g.
comminationes divinæ, fulmina, exundationes &c.
quædam autem κατ' ανθρωπων, & hæc sunt in duplici
differentia, alia sunt, quæ homo tota mente evitare,
imo ab ipsis abhorreere debet, v. g. carceres & sup-
plicia honestarum legum transgressoribus præordina-
ta; item vitia, quæ quoq; à quovis homine evitan-
da sunt. Alia vicissim, quæ, si nostrâ culpa non fue-
rint producta, æquo ferre animo decenterq; sustine-
re tenemur. Secundarium objectum sunt τὰ θάρ-
λέα seu fiducialia, quibus fiducia in periculis animo
ingeneratur, ut sunt exercitus, arma, propugnacu-
la &c. Speciale est mors, quam religionis vel publi-
cæ utilitatis vel honestatis causâ quis oppetit. Finis
est honestas & publica utilitas ac laus. Quod enim
ab honestate vel Reip. commodo, & laude remotum
est, vir prudens non tenetur aggredi, ad hanc igitur
metam qui non collimat, minimè dicendus est
fortis. Tales sunt i. qui privatam sibi gloriam quæ-

runt sub velo fortitudinis se aliosve absq; legitima cau-
 sa periculis immiscentes; 2. qui propter vincendi fi-
 duciam ab experimento, quod prius vicerint, conce-
 ptam; aut 3. iræ vehementiâ obcœcati; vel 4. nuda
 victoriæ spoliatorumq; reportandorum spe inducti; sive
 5. jactantiâ, vicio satis frequente persuasi periculorum
 quamvis ignari, magna & ardua subeunt. Quos non-
 nunquam in avia montiumq; salebras turpis fugæ ne-
 cessitas divino Numine sic disponente, amandat. Nec
 illi sunt fortitudinis laude digni, qui diabolicis arti-
 bus corpora sua reddunt immunia ab armorum hosti-
 lium ictibus. Taxantur & ἀυρόχεις, hujusq; virtutis
 elogio destituuntur, tales enim sunt vitæ suæ de-
 prædatores, legis divinæ transgressores, *Lex Dei ait:*
Non occides, quod hi minime observant. Officium viri
 fortis in genere consistit in τῷ sustinere & aggredi pe-
 ricula. *Fortitudo* dividitur æquivoce in κούριαν & δῶρε-
 σταν, illa in Theoremate nostro attenditur. Univoce au-
 tem dispescitur in *Togstam* vel *Bellicam*; illa est duplex,
domestica, quæ in secundis & adversis rebus privatis a-
 nimum reddit constantem; vel *Politica*, cujus ope, qui
 Reip. præficitur, vel præfectus est, consilia ad promo-
 vendum patriæ emolumentum excogitat saluberrima,
 affectibus injicit frænum, negligit munera, Vulgi non
 frangitur erratis, jus administrat infonibus & reis.
Hæc scil. *Bellica* est, quâ quis in bello casus adversos,
 imò ipsam mortem subit. Talis erat *Callicratis*, qui
 adversus Mardonium Xerxis ducem pugnaturus sagit-
 tã percussus, ac propemodum exanimatus: *Ego*, inquit,
mortem nihil lugeo, quod domo proficiscens, ut pro Græcia mo-
verer, hoc venerim: sed angor animo, quod nec strenuè, nec
fortiter dimicans occumbo. *Plat.* Cimbro & Celtiberos

in acie exultasse tanquam gloriose & feliciter excessuros; lamentatos autem in morbo quasi turpiter & miserabiliter perituros refert *Wal. Max. lib. 2. c. 6.* Peccant contra hanc virtutem *audaces, transgrediendo medicritatis terminos.* Tales fuere olim *Canni* aërem hastis pulsantes dicendo, se ejicere Deos peregrinos, *Herod. lib. 4.* In defectu *timidi & ignavi* aberrant, qui nihil arduum pati aut aggredi sustinent. Exempla quotidiana experientia suppeditat.

THEOREMA POLITICUM.

Homo Christianus bona conscientia Magistratum gerere potest.

Ordinem Politicum penitus prostrernere conantur *Anabaptista*; verum invitâ veritate, quod sequentes monstrabunt rationes. 1. Si quis sacras literas consulere voluerit, animadvertet Magistratus Politici munere functos esse viros pios, quorum in numero fuit *Moses*, per quem Deus tot miracula patravit, populum suum ex *Ægypto* eduxit & controversias decidit exortas, de quo ita loquitur: *Moses servus meus mortuus est, Ios. cap. 1. v. 1.* *David, Assa, Iosaphat, Hiskias & Iosias*; nec tamen ideo a Deo rejecti sunt, sed potius egregiâ ornatî laude. 2. ipse Deus Magistratum constituit, ideoq; nequit esse malus. *Per me Reges regnant & legumlatores decernunt justitiam Prov. cap. 8. v. 15.* Deus constituit regna, *Dan. cap. 2. v. 21.* & 3. potestati seculari nos subjecit *Rom. cap. 13. v. 1. 2. 3.* *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi à Deo: qua autem sunt potestates, à Deo ordinate sunt.* Itaq;

quiquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistenterint, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori bene agentibus sed malè. Si nemo Christianorum deberet fungi Magistratu, tum incommoda sequerentur innumera. Quot, quæso, belli civilis turbines fremerent furumq; manipuli grassarentur? Quod lupanaria paterent? Quot factiones & cædes quovis tempore in omnibus ferè angulis committerentur? Nemo in foro, nemo in thoro tutus esset.

THEOREMA OECONOMICUM.

Uxoris, virum suum amare, honorare, ipsi obtemperare domumq; diligenter curare, officium est.

Qua (sc. uxor) diligentissimè & accuratissimè, quæ necessaria sunt in domo preparat, quæ quid maritus cupit, cujus rei indiget, statim intelligit, quæ si doleat, vultu mærorem præ se fert, & gratâ sedulitate, suam erga illum fidem & amorem ostendit, si melius habeat, & aliquando fiat hilarior, illa confestim recreatur latiorq; fit; deniq; lætitiæ, timoris, spei, mæroris, omnium affectionum mariti in ea semper expressa vestigia conspiciuntur, ut loquitur Majoragius. Et patet porro, nam Deus creavit Evam ex costa Adami ut ipsi esset adjumento vitæq; socia. Requirit præterea ab uxoribus hæc aliaq; officia ab honestate non remota Conjugij finis. Postulant Saræ aliarumq; honestissimarum matronarum exempla. Desiderat mariti amor vitæq; consuetudo. Absint igitur ab ea garrulitas, contentio, pigritia & mariti contemptus; è contra vero modestiam, castitatem cæterasq; virtutes
uxores

uxores diligenter sectabuntur. Hæc pauca publicæ
hac vice ventilationi subijcere pro instituti ratione
sufficiat.

*Magnas summe tibi rerum Moderator & author,
Pro dulci grates ope, casto ex pectore fundo.*

VIn Tibi SALMENI mentis dem pignus & arrham
Carmino tali?

En Tibi SALMENI hac mentis fiet arrhabo nostra, &
pignus Amoris!

Sedulus Auræicis hic Musis invigilasti
Artis Alumnus.

Nunc ceu victor ovans fers tecum premia μισῶν
Atq; trophæa.

Salve SALMENI patria inservire memento
pectore fide.

Hoc decastico extemporaneo, honores ac
prosperiores sortem, Literatissimo &
ingeniosissimo Dn. Candidato SALME-
NIO gratulari & apprecari, licet valetu-
dinarius, I. tamen mq; voluit

ERICUS JUSTANDER Poët.
Prof. Ord. Aboæ

JOHANNES SALMENIUS
CANDIDATUS.

ἀναγραμμαματιζόμενος,

EN NATUS ALA CANDIDUS! IS HOMINES.

Prodijt en natus sophiæ, qui candidus alâ!
Eusebiæq; simul rarus amore cliens:
Is sibi commissos homines ducturus in altum,
Explicat, ecce, alas Eusebiæ & Sophiæ.

Candidus utrâq; est, veri sincerus amator;
Et verâ in cœlum, duxq; comesq; via,
Inspice, SALMENI, quæ sint emblemata laudum,
Quas tibi tum virtus, tum genitura dedit.
Eusebiæ donis, Sophiæ si munere largo,
Præficiâre gregi, præficiâre Scholæ:
Anguror, insigni tandem donabere laude;
Ipsemet, eveniant singulâ fausta, precor!

Qui hacce animitus adjeci ἀποσχεδίας

PETRUS LAURBECCHIUS, *Mathes. Prof.*
Extraordinar. & Bibliothecarius.

JOHANNES SALMENIUS

Per ἀραγρὰν.

HIS ANNE SALUS, OMINE!

Per plures mundi vano conamine gazas
Corradunt, mirâ & sedulitate parant,
Et tamen ignavo frustra sibi corde placentes
Contemnunt reliquos, quos pius ardor agit;
At paucilla salus mentis nec firma voluptas
Suppetit his, quorum cæpta caduca ruunt:
Quæis subit ast mentem Divis sacrare Camanâ
Et præclara animi prodere dona probi,
Aurea virtutum vestigia ritè resurgent

HIS ANNE ex merito non tribuenda SALUS?

Gratulor ergo tibi hac virtute parata brabea,
SALMENI niveâ fautor amande fide,
OMINE felici succedant ipsa laborum
Præmia, quæ tibi jam mitia fata dabunt,
Grata Deo exopto quò sint patriâq; probata,
Teq; salus demum non peritura beati.

Præstantiss. Dn. Candidato, candido animo magis
quam polito versu L. Mq; gratificari adnitebar

GEORGIUS G. PRYTZIUS. Arctopoli Finl.